

Jurisdictionem quæ ab Ecclesia tribuitur quando et quoties et quibus ipsi libuerit.

» Censetur autem gravis causa adesse, 1. si urgeat præceptum annuæ confessionis, nec alius adsit confessarius qui certa gaudeat jurisdictione; 2. si pœnitentes indigeant auxilio talis confessarii; 3. si pœnitens deberet complicem patefacere alium adeundo, vel secus remanere debeat in mortali; 4. si confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem tantum, timeat ne secus pœnitens apud alium sacrilege confiteatur.»

ANIMADVERSIO XIX.

DE FACULTATIBUS CARDINALI MAJORI PœNITENTIARIO COMPETENTIBUS.

Legatur constitutio Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1744, vel in ejus bullario, vel apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* ad calcem, ut sciatur quæ facultates hodie majori Pœnitentiarie competant, tam ipsi quam officio sacræ Pœnitentiariæ, pro regula ad hoc sacrum tribunal preces dirigendi juxta rerum opportunitatem.

ANIMADVERSIO XX.

FACULTATES SPECIALES QUÆ SOLENT CONCEDI CONFESSARIIS AD MAJOREM PœNITENTIARIUM RECURRENTIBUS.

Quilibet confessarius ad ordinario approbatus impetrare potest ab Eminentissimo cardinali majori Pœnitentiarie facultates quasdam speciales quarum tenorem hic adicere perutile ducimus:

« Tibi dilecto in Christo, confessario ab ordinario loci ad excipiendas utriusque sexus sacramentales confessiones legitime approbato, infrascriptas concedimus facultates, quibus pro foro conscientie, et in sacramentali confessione, auctoritate apostolica, uti valeas, et non aliter; ita tamen ne debeas illas cuilibet manifestare, nisi necessitas, aut utilitas id exegerit.

» I. Absolvendi ab excommunicatione ob manus violentas injectas in clericos, aut presbyteros, sive sæculares, sive regulares in casibus tamen non deductis, nec de facili ad forum ordinarii deducendis; dummodo non sit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio, et injuncta congrua pœnitentia salutari, cum obligatione caute et competenter satisfaciendi parti læsæ.

» II. Absolvendi a censuris contra duellantes inflictis, dummodo casus ad forum ordinarii non fuerint deducti; injuncta gravi pœnitentia salutari, et aliis injunctis, quæ fuerint de jure injungenda.

» III. Absolvendi quoscumque pœnitentes sive viros, sive mulieres (exceptis hæreticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis ob hæreses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externas, ob infidelitatem, et catholicæ fidei abju-

rationem private admissas, sortilegia, ac maleficia etiam cum sociis patrata, necnon ob demonis invocationem cum pacto donandi animam, eique præstitam idololatriam, ac superstitiones exercitas, ac demum ob quæcumque insinuata falsa dogmata, incursis, postquam tamen pœnitens complices, si quos in præmissis habeat, ordinario loci, vel sacræ inquisitionis ministro in locis, in quibus viget sacræ inquisitionis auctoritas, prout de jure, denuntiaverit. In aliis vero locis, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo judicio tuo fieri poterit, coram ordinario loci. Et postquam in singulis casibus hæeres coram te secrete abjurerit, et pactum cum maledicto dæmone initum expresse revocaverit, tradita tibi syngrapha forsitan exarata, aliisque mediis superstitionis, ad omnia comburenda; injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se prudenti judicio tuo retractandi apud personas, coram quibus hæeres manifestavit, et reparandi illata scandala.

» IV. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausuræ regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad forum ordinarii deducti, cum congrua pœnitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris, et pœnis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausuræ virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi pœnitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et conventum seu cœnobiū dictorum religiosorum, durante occasione peccandi.

» V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen pœnitens libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, ordinario loci, seu alii, cui de jure, consignaverit, vel consignandos tibi dederit; injuncta congrua pœnitentia salutari.

» VI. Absolvendi a casu Sedi apostolicæ reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus; injuncta pœnitentia, et quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua elemosyna judicio tuo taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis, cui faciendæ esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de præsentibus adimplere nequeat, præstita in tuis manibus obligatione restituendi infra terminum tuo arbitrio præfinitum, alias sub reincidentia.

» VII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (exceptis monialibus, nisi fueris pro ipsis ab Ordinario loci approbatus vel deputatus) non solum a præmissis, sed etiam a casibus, et censuris in sua religione reservatis.

ANIMADVERSIO XXI.

» VIII. Commutandi, consideratis causis, omnia vota simplicia in alia pœnitentiæ, seu pietatis opera: exceptis quinquæ votis Sedi apostolicæ reservatis, scilicet castitatis, et religionis, ac trium peregrinationum, nempe ad sacra SS. Apostolorum Limina, ad S. Jacobum in Compostellis, et ad Jerusalem; necnon votis pœnalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper voto non ludendi; ac votis, in quibus agitur de præjudicio vel de jure tertii.

» IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit; monendo hujusmodi pœnitentem ad idem servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito, seu uxori respective supervixerit.

» X. Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguinea, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi: et injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: ita tamen, ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatæ, nativitas desponsatæ copulam ipsam antecedit: monito pœnitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nunquam detegatur: remota occasione peccandi; atque injuncta pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XII. Dispensandi super impedito occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XIII. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat cum sacerdotibus, vel in sacris ordinibus constitutis, tam sæcularibus, quam regularibus.

» XIV. Absolvendi a censuris, et pœnis ecclesiasticis eos, qui vetitis massonicis, aut carbonariis sectis aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem præstitissent, postquam tamen a respectiva secta omnino se separaverint, eamque abjurerint, libros, manuscriptorum, ac signa sectam respicientia, si quæ retineant, tuis manibus consignaverint ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, veræque pœnitentiæ signa exhibuerint. Firma obligatione denunciandi sectæ socios, ac magistros,

prout de jure, et quoad carbonarios, eos omnes, de quibus in §. *Præcipimus* bullæ *Ecclesiam a Jesu Christo*, a fel. rec. Pio VII editæ, et a papa Leone XII confirmatæ; injuncta pro modo culparum gravi pœnitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis; aliisque injunctis de jure injungendis.

» Volumus autem, ut supradictis facultatibus uti valeas tantummodo per (hic tempus præfinitum) a data præsentium computandum: et abstineas absolvi a casibus reservatis locorum ordinariis, nisi facultatem ab iisdem obtinueris.

» Datum Romæ ex ædibus nostris die.....»

ANIMADVERSIO XXI.

DECRETA CIRCA USUM PONTIFICALIUM PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS CONCESSUM.

« Sacrorum rituum congregatio, tollendis ac eliminandis circa ecclesiasticos ritus qui irrepserunt abusibus sedulo intenta, post episcoporum Cæremoniale evulgatum, quo quidquid ad ipsos in sacris cæremoniis pertinet abunde præscripsit, idem quoad inferiores prælatos, qui pontificalium usu fruuntur, præstandum curare necessarium existimavit ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur sacrorum ritus in omnibus, eo præsertim tempore quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtinentesque, parum obsequii student decretis pluries ab eadem sacra congregatione hæc in rem evulgatis, aut ipsa ignorare prætendunt. Quamobrem omnia simul, ut unico conspiciantur obtutu, cogere perque capita digerere constituit quo facilius observentur.

» I. Super altari, in quo sacra erunt facturi, septimum nequaquam apponant candelabrum.

» II. Cathedram, seu sedem fixam et permanentem in eorum ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus quibus ex antiquis decretis tantummodo pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici serico panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato.

» III. Baldachinum adhibere supra sedem poterunt, non pretiosum aut aureum, sed simplex et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferius. Ad ipsam autem per duos tantum gradus in presbyterii superficie stratos ascendatur.

» IV. Non abacum alium præter parvam mensam et in cornu epistolæ parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eandem parieti hærens baculus pastoralis appetur.

» V. Dies vero, in quibus ipsis operari conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii in quibus ipsos pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe patroni loci, fundatoris ordinis, tituli et

dedicationis Ecclesiae. Abstineant autem ab hujusmodi pontificalium usu in officiis et missis defunctorum quocumque die etiam festivo et de praeecepto.

» VI. Ad ecclesiam accedentes, licet pontificaliter divina peractari, iisdemque absolutis, ab altari recessuri, a suis canonicis vel monachis, ut mos est episcoporum, ne associari se sinant.

» VII. Praeter duos sacrificii ministros, diaconum nempe evangelii et subdiaconum epistolae, duo alii tantum diaconi cum dalmaticis et unicus presbyter cum pluviali eis assistant; duo insuper capellani qui de mitra et baculo, ac totidem acolyti pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii canonici vel monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, divinis hujusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo cooperitis, situ congruo accommodatis, moxque illinc removendis, considerant.

» VIII. Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant, baculum pastorem albo velo appenso deferant, ab iisque et aliis pontificalibus, etiam de ordinariorum licentia, extra ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant, et neque in processionibus, quae ab eorum ecclesiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, insigniis praedictis utantur, vel penes se perferri faciant.

» IX. Regulares rochetum non deferant nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat.

» X. Invitati ad ecclesiam exemptam, nec in illa pontificalibus uti valeant; nec ii, qui non fuerint abbates perpetui vel benedicti, in propriis ecclesiis uti possint privilegio perpetuis abbatibus vel alias benedictis indulto.

» XI. Sacras vestes ex altari non sumant, nisi pontificaliter divinis vacaturi.

» XII. Indulgentias impartiri vel publicare non audeant absque expresso S. Sedis indulto.

» XIII. Pontificales benedictiones cum trina crucis productione in missis tantum pontificalibus, necnon vespere et matutinis pontificaliter itidem celebratis, licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificaliter induti per ecclesiam incedentes, benedicere non praesumant.

» XIV. Praesente episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

» XV. Si episcopus aderit, ipsius sedes in cornu evangelii, uno saltem gradu eminentior abbatiali, est erigenda; haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu epistolae collocetur. A latere episcopi canonici cathedralis, prope abbatem canonici vel monachi monasterii et abbatialis ecclesiae considerant. Confessionem cum celebrant episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, evange-

liorum textum osculetur et populo solemniter, quamvis abbas ipse pontificaliter celebret, benedicat. Episcopus praeterea trino ductu, et immediate canonici cathedralis duplici, moxque abbas (nisi celebret) duplici, ac subinde canonici vel monachi abbatialis ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

» XVI. Abstineant tamen episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti accessu ad ecclesias exemptas in similibus actibus ut liberius abbates valeant suis uti privilegiis.

» XVII. In ordinationibus canonicorum, clericorum, monachorum, necnon in vestitionibus monialium et emissionem professionis earundem, etiam pleno sibi jure subjectarum, in benedictionibus sacrae suppellectilis caeterisque actibus (missarum, vesperarum et matutinarum solemnibus ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in ecclesiis, oratoriis, aliisque locis tam publicis quam privatis, quantumvis exemptis, eidemque abbatibus pleno jure subjectis, mitram, baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessionem, adhibeant.

» XVIII. Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio duntaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum benedicant.

» XIX. Reliqua pontificalia, extra loca ipsi abbatibus subjecta, vel pro servitio alienae ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia ordinariorum, exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum et similibus in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationem.

» XX. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem largiri non praesumant, sed episcopis, quibus jus hujusmodi private competit, omnino dimittant.

» XXI. In missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem, a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia; neque utantur cruce pectorali; unico sint contenti ministro; aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant.

» His autem Sanctissimo (Alexandro PP. VII) relatis, et in congregatione sacrorum rituum ordinaria, habita coram Sanctitate Sua, per Eminentiss. et reverendiss. D. cardinalem Brancaccio accuratè perlectis et mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, et pro omnimoda earundem observatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi et publicari ut, elapso termino sex mensium a die publicationis earundem, omnes et singulos usu pontificalium gaudentes tam saeculares, tum regulares, quantumvis exemptos, et speciali expressione indigentes, afficiant et arciant, ac si omnibus et singulis eadem exhibita vel personaliter praesentata, intimata seu ordinariis ut, auctoritate

Sedis Apostolicae, possint, imò debeant, praefatos, etiam per censuras, compellere. Cumque nonnulli ex dictis abbatibus et praelatis proprium habere possint territorium, juraque episcopalia, nullisque subdantur episcopis qui eos coercere, si excesserint, valeant, eo casu a Sedis Apostolicae nuntiis, si aderint, sin minus, ab archiepiscopis in quorum provinciis, vel ab episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra vel prope quorum diocesis limites eorum ecclesiae vel monasteria sita fuerint, tanquam a S. Sede delegatis, ad hujusmodi decretorum observationem praedicti omnino cogantur. Die 27 septembris 1659. »

Decreti praecedentis declaratio, pro congregatione monachorum Cassinensium, data die 12 jun. 1660, approbata ab eodem Pontifice die 20 julii ejusdem anni, refertur a Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 888.

Ad extirpandos autem abusus in hac parte semper renascentes, Pius PP. VII, die 4 julii 1823, dedit litteras apostolicas *Decret Romanos Pontifices* in quibus sequentes articuli leguntur:

« I. Sacra peragere ritu pontificali de jure inhæret duntaxat episcopali dignitati.

« II. Praelati episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatori, statutis tantum diebus, in propriis ecclesiis ab episcopali jurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII a Benedicto XIV confirmata (constit. *In throno justitiae*, tertio kal. martii an. 1752).

« III. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa ordinarii loci licentia.

« IV. Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et caeremonias pro episcopis et praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

« V. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarundam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

« VI. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aequè competunt, sed discrimine est opus inter celebrantem et assistentes cum insigniis pontificalibus.

« VII. Nam celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia, non item assistentibus, dum dignitates, canonici, rectores, etc. sacra sumere debent indumenta.

« VIII. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolicae Sedes

insignioribus capitulis quandoque concedit, intelliguntur duntaxat, ex pluries decisis a S. Congregatione, caligae, sandalia nec auro nec argento ornata, sericea item chirotheca, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

« IX. Hisce omnibus uti poterit solummodo dignitas, canonicus aut rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua duntaxat insignia permittat.

« X. Qui vero in Missa solemniter diaconum et subdiaconum agunt, etiamsi sint dignitates, canonici, etc., nec mitram, nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad evangelium et epistolam adhibere poterunt.

« XI. Dignitatibus, canonicis, rectoribus, etc., Missam cum insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis duntaxat diebus, in quibus celebrant vice episcopi absentis, vel impediti, vel vita functi, vel in quibus episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali et mitra. In reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

« XII. In ecclesiis civitatis et diocesis cum insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus solemnitatibus, assente episcopo et assistente capitulo.

« XIII. Nunquam vero iisdem utantur in missis pro defunctis, licet episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

« XIV. Si dignitas vel canonicus, etc., ab episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia, expleto tirocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus insigniis uti nequeat, nisi de expressa episcopi licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur quae actioni conveniunt.

« XV. Cum pontificalibus indumentis celebrans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperito tapete vel panno coloris qui officio diei respondeat.

« XVI. Neque praeterea tam in solemnibus quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, palmatoria, presbytero assistente, salutare populum cum *ŷ. Pax vobis*, loco *ŷ. Dominus vobiscum*; aut trinam dare benedictionem post Missam, vel cum sacramento, et si quae sunt alia, quae solis competunt de jure episcopis, et ex privilegio praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere statis diebus concessum est.

« XVII. Dignitates, canonici, rectores, etc., quando parati assistunt episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris indumentis videlicet pluviali vel casula vel dalmatica amicti, in processionibus sanctissimi Corporis Christi, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etiamsi has functiones peragat dignitas vel canonicus loco et vice episcopi absentis, impediti aut vita functi.

» XVIII. Assistentes episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

» XIX. Solemniter celebrantes, dum episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

» XX. Non liceat eis uti pulvino sub genibus, episcopo praesertim assistente.

» XXI. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore, etc., solemniter celebrante, vel sacramentum in processionibus deferente.

» XXII. Dignitates, canonici, rectores in processione sanctissimi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

» XXIII. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censi debent.

» XXIV. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, a simplicibus sacerdotibus non differant. Sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duae tantum candelae luceant in altari.

» XXV. Defuncti nequeunt in loculo efferri nec tumulari cum mitra.

» XXVI. In eorundem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

» XXVII. In insigniis seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu quo expresse concessum sit in litteris apostolicis.

» XXVIII. Quod si super praemissis aliquid exoriat dubium, hoc ad sacram congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

» Si quae vero capitula amplioribus, ac praeter hujusce decreti instituta, privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in sacram congregationem perpendenda deducant ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit oportune decernatur.....

» Quocirca VV. FF. patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum ordinariis per apostolica scripta mandamus ut praesentes nostras litteras, atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debite executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet, per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.»

Est hic notandum cum Benedicto XIV, lib. II, cap. xxiv, *De sacrif. Missae*, n. 9, quod a ternis olim crucis signis sacerdotes populo benedicebant, ut nunc episcopi. Sublatus est ejusmodi ritus a S. Pio V, qui in solemnibus missis duntaxat adhibere eum voluit. Clemens vero VIII statuit ut presbyteri, etiam in Missis solemnibus, uno tantum crucis signo populo benedicant, ut videre est apud Meratum.»

ANIMADVERSIO XXII.

DE MASSONISMO.

Massonismi vocabulo complecti solent omnes illae sectae clandestinae vel etiam publicae, quarum scopus est Ecclesiae auctoritatem oppugnare, necnon legitimam principum etiam saecularium potestatem frangere. Eas porro sectas damnarunt Pontifices fere omnes a Clemente XII usque ad Pium IX, scilicet laudatus Clemens constitutione *In eminenti* 1738, Benedictus XIV *Providas* 1751, Pius VII *Ecclesiam* 1821, Leo XII, *Quo graviora* 1825, Gregorius XVI encycl. *Inter*, Pius IX encycl. *Qui pluribus* 1846, et syllabo encyclicis litteris *Quanta cura* 1864 annexo § 4. Ex praedictis litteris inflicta est « poena excommunicationis ipso facto, et reservata, tam in eum qui ab iisdem societatibus, earum caetibus, conventiculis et aggregationibus non se abstinere, vel easdem quoquomodo juvat ac fovet, quam in eum qui illos non denuntiat quos noverit his societatibus nomen dedisse vel consilium, auxilium aut favorem praestasse.» Iterum sub excommunicatione ipso facto incurrenda et reservata « prohibentur omnes libri, statuta, manuscripta, codices harum societatum sicut etiam illos vel legere vel retinere; quod idem valet de omnibus libris ad illarum defensionem exaratis.» Quae omnia legitimo superiori sub gravi tradi debent.

Cf. Adnotationem XX supra.

ANIMADVERSIO XXII.

DE PROCURATIONIBUS EPISCOPO AUT VICARIO CAPITULARI ECCLESIAS VISITANTI DEBITIS.

Auctor noster, *Tract. de regulis juris*, cap. II, ad reg. LXXXIII, hoc volumine pag. 177, illud docet: « Visitans episcopus ex justa causa bis vel saepius in anno ecclesias, aut monasteria sibi subiecta, non tantum semel, sed etiam saepius, toties nempe quoties visitat, exigere potest procuracionem moderatam.»

Textus ille corrigendus est; quamvis enim episcopus visitacionem instituere possit etiam intra annum toties quoties opus fuerit, semel tamen duntaxat procurari debet, ut diximus sub Adnotatione XXVI voluminis quinti. Sic insuper se habet Benedictus XIV, *De syn. diac.*, lib. X, cap. x, n. 6: « Ne quisquam pastorem visitacionem iterantem insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurrat ut eas saepius tondeat, non autem ut earundem morbis novum afferat medicamen, propterea cum Sacra Congreg. episcoporum et regular. anno 1586, tum Sacra Congreg. concilii, die 16 sept. 1682, censuerunt episcopo bis eodem anno diocesim visitanti unicam tantum deberi procuracionem. Examinato quippe sequenti articulo: « An episcopus qui, si commode fieri possit, diocesim suam quotannis » visitare tenetur. possit huiusmodi visitacionem

» facere per mensem vel circiter, antequam labor integer annus a die peractae ultimae visitacionis, vel potius debeat expectare quod anni circulus integre compleatur antequam denuo » visitet, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum una tantum visitatio fiat? » S. C. C. praedicta die et anno respondit: « Affirmative, sed » non posse recipere procuracionem, neque vicualia, nisi semel in anno.»

« Cui quidem responsioni concinit alia ab eadem S. C. data die prima julii 1737 in causa *Policastren. procuracionis*, in qua proposita quaestione: « An episcopus, non completo anno ab ultima » visitacione, possit iterum eandem ecclesiam visitare, et aliam procuracionem a visitandis exigere? Responsum fuit: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.» *Thes. resolut.*, t. VIII, pag. 87.»

« Huc etiam pertinet quod ab eadem S. C. decisum fuit quoad procuracionem solvendam vicario capitulari. Diximus superius, lib. II, cap. IX, n. 5, posse a vicario capitulari diocesim visitari post annum a die ultimae visitacionis ab episcopo peractae, sed quoniam non decet ut ipse cum tanto incedat comitatu quanto indiget episcopus, qui majori praefulget dignitate, idcirco S. C. die 28 julii 1708 in causa *Ostunen. procuracionis*. impressa t. IX, *Thesaur. resol.*, p. 172, rescripsit « vicario capitulari deberi tantum medietatem » procuracionum quae episcopo solvi consueverunt; tunc enim pacto servabitur indemnitas ab » expensis quae visitacionis causa occurrunt, sed » nihil lucri ex ea percipiet.»

ANIMADVERSIO XXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE BENEDICTI XIV DE CONCURSU HABENDO PRO PAROCHIALIUM ECCLESiarUM COLLOCATIONE.

« VV. FF. patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, Benedictus PP. XIV.

» VV. FF. salutem et apostolicam benedictionem.

» Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum, et dominicis gregis custodia crederetur; quia totius familiae status, et ordo nutat, si quod requiritur in corpore non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim S. Trident. synodi decretis provide consultum est regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis

ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; san. mem. Innocentius XI, praedecessor noster erroneam doctrinam a vera, et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens, ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

» § I. Ad tramites idcirco ejusdem sanctae synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab ordinario conferenda sit, concursus institui, ut, habita in eo de cujuslibet aetate, moribus, doctrina, et sufficientia solerti inquisitione, episcopus eligat quem caeteris magis idoneum judicaverit.

» § II. At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo judicio, minus digni dignioribus praeponeantur, sa. me. Pius V. noster praedecessor, ne quid in hujusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima constitutione, licere voluit injuste in concursu rejectis, interposita ad metropolitanum, vel episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praeelecto ab ordinario parochialis ecclesiae possessione.

» § III. Consultissima hujusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperit magistris, novi antiquis, rudes praeferrantur emeritis, violatae sunt hominum fraude, et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim rejecti ab ordinario, dictae constitutionis obtentu in vocem appellationis facile prorumpere, et, minus legitima concurrente causa, electos ab episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis, et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis, et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia, et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

» § IV. Quin etiam experientia compertum est magno justitiae detrimento litem ipsam absolvi, quandoquidem ii, qui examini se subjecerant, atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, rejecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris ex industria navantes operam, praeferrari aliis merebantur, et acerbè succensebant episcopo, judici quidem adeptae non autem adipiscendae peritiae, per injuriam se fuisse rejectos.

» § V. Hinc apud bene moratos homines, et justitiae vindices, frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum congregatio concilii Tridentini interpres omne studium diligentiamque conferret, Nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatam est, ut sermone, typis postea vulgato,